Excerptum.-

Ex Constitutionibus Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Rossiae Lithuanae

Pars tertia.-

De Officialibus Congregationibus.-

Caput 1.^m

De Praelato Congregationis.-

Quemadmodum Omnes in Sacra Congregatione regulariter Professi, unum Corpus sumus, ita Omnes unum Caput et unum Praelatum ac Rectorem totius Congregationis agnoscere debemus, cui per Omnia Secundum DEum subjiciamur, et excorde humiliter obediamus, secundum quod dicit Regula. Praeposito tanquam patri obediatur servato honore, ne in illo Deus offendatur, multo magis Presbytero, qui Omnium vestrum curam gerit.-

Igitur Congregationis Praelatus tanquam Pater et Caput ab omnibus suscipiendus et venerandus erit, in omnibus locis nostrae Congregationis, primum locum et Sedem, super omnes de Congregatione existentes tenebit, tanquam ordinarius Judex in omnibus Causis in foro interiori, et exteriori potestatem habebit, super Omnes et singulos de Congregatione Subjectos, sive superiores, suamque Jurisdictionem per se vel per Consultores exercere poterit.- Ipse vero Praelatus non se potestate dominante sed Charitate serviente felicem existimet, et pro viribus curare debet, ut qui auctoritate praeest omnibus, singulis prosit etiam bono exemplo, et moribus.- Constitutiones et Regulam per se et per sibi subjectos observari faciat, eadem mensa in Communi Refectorio eodemque obsonio utatur, et ad chorum una cum alijs frequentet.-

Visitabit quolibet anno imo et Saepius si necessitas exigat omnia Congregationis Monasteria, investigando de omnibus, quae tam ad spirituale quam ad temporale regimen spectant, mores etiam singulorum, tam Subjectorum quam Superiorum examinabit, quae recta sunt promovendo, quae vero alicui ordinationi contraria corrigendo.-

Superiores si quos graviter et cum scandalo delinquentes aut inobedientes sive Regulae sive Constitutionum praesentium in materia gravi ordinationi deprehenderit, convictos ab officio

suspendat, aut etiam amoveat, juxta qualitatem nempe et gra-
vitatem materiæ pœnis promeritis ipsos subjiciendo. Contra de-
vios Canonicos justas pœnas pro qualitate Vitiorum extendat,
magis tamen præ oculis habendo misericordiam quam justi-
tiam.—
In relatione suæ Visitationis coram eo, ad quem de jure perti-
net faciendæ, ita se fideliter gerat, ut seposito Omni Carnali
affectu erga aliquos, aut pravo Odio erga alios, rem totam
pro ut se habet, sincere et in veritate describat. Singulorum
tam Superiorum quam Subjectorum qualitates, idoneitatem,
merita et bonos sive malos mores prout revera cuique ine-
runt, exprimendo, sciens se redditurum strictam DEO de sua
Administratione rationem; si occasione falsæ delationis, si-
ve idoneus et dignus à vacanti Officio amoveatur, aut pror-
sus incapax et indignus ad Officium aut aliquam Dig-
nitatem in Congregatione promoveatur.—
Et quanquam Prelatus Congregationis habeat tum ex Jure Cano-
nico, tum etiam Civili: Potestatem investigandi de Administratio-
ne bonorum temporalium, et etiam corrigendi, si eam non recte
fieri videat non tamen poterit, per se Administrare bona
temporalia alterius Monasterij, præterquam sui, cui propter
decentem sui officij Administrationem præerit. Unde si ob
Vitium evidenter probatum, aliquem ex Superioribus a
suo Officio amoveri contigerit, aut per mortem Rectoris aliquod
Beneficium vacaverit, in eo Casu donec alius eligatur Su-
perior, Administrationem alicui Canonicorum prudenti
et bonæ famæ viro, committere tenebitur.—
Nullos item proventus alterius Monasterij Sibi appropriare
poterit, sed ea tantum de Proventibus aliorum Monasteriorum
sumet, quæ juxta proportionem redituum certorum per
Capitulum Generale sive pro subsidio Novitiatus sive necessi-
tate alicuius Monasterij sive alijs totam Congregationem
spectantibus negotijs taxata, et determinata erunt. Proven-
tus vero sui Monasterij cui præficietur, omnino ita dis-
ponet et Administrabit, pro ut dictum est in Capite de
voto paupertatis.—
Ne vero invisitandis Monasterijs aliquod gravamen ip-
sis faciat, curabit, Prelatus Congregationis parco equitatu
et paucis servitoribus uti; nihil quidquam occasione visi-
tationis exigendo, præter subsidium pro vialibus, quod
ex Singulis Monasterijs erit Summa decem aureorum
numorum excepta Parochia Zerroviensi de qua decem
Rublionum Argenteorum Summa sufficiet.—

In visitationibus expediendis omnia mature agat, singula
Monasteriorum negotia stricte per se examinando, etiam
diutius in Monasterio quod visitat permanendo, si ejus
necessitates et utilitas ita exigerit. Prædia quoque visitet
examinando inventaria, et rem Oeconomicam qualiter admini=
stretur, et ne subditi nimium graventur aut puniantur
prœcavebit.– Mutationem subjectorum per Monasteria extra
Capitulum juxta exigentiam et necessitatem Monasteriorum
faciat. Caveat tamen ne eandem frequenter, aut cum detri=
mento alicujus Monasterij fieri contingat.–
Prælatus Congregationis a suo Officio amovibilis declaratur
in Casibus publici et notorij scandali incursi læsæ re=
gularis Observantiæ duri et austeri nimis regiminis, dissi=
pationis aut alienationis bonorum domus, cui præficitur,
Machinationis contra Congregationem, aut ejus Statuta et
Ordinationes– In præfatis casibus Prælatus Congregationis
repertus devius a Consultore circa ipsum manente, serva
ta Omni modestia et Reverentia moneri debet, et si secundo
et tertio monitus non se emendaverit, deferatur Alteri Con=
sultori qui inito cum Superioribus locorum Consilio, ad Capi=
tulum convocandum Prælatum invitent, quod si Prælatus
Capitulum convocare renuerit, Consultores Congregationis ha=
beant plenam facultatem convocandi Capitulum, ad quod
Prælatus condescendere debebit, alias ipso facto a suo
Officio amotus censeatur, et tanquam Congregationi inobediens
puniatur. Caveat tamen Consultor ne odio erga Prælatum,
aut intempestivo Zelo ductus, id facere præsumat, pœnam
talionis subiturus, si in probatione objecti vitij defecerit.–
Præterea Prælatus Congregationis a Capitulo Generali Con=
gregato per majorem vocalium partem invitatus ad re=
signationem sui Officii non indagando ullam Causam illud
resignare teneatur, alias item pro contumaci et inobediente
Congregationi, et eo ipso a suo Officio amotus censeatur.–
Prælatus Congregationis post liberam sui Officij resig=
nationem quam ob graves et rationabiles causas facere
poterit, (: nisi forte ob rationes superius expressas ab Officio
amoveatur:) Primum post Prælatum Congregationis pro
tempore existentis, locum in Omnibus actibus et conven
tibus habeat, et titulo Reverendissimi gaudeat. Si Præ=
latum intra intermedium tempus Capituli mori conti=
gerit, regimen Congregationis una cum Possessione Bene
ficij, quod Defunctus Prælatus regebat, ad primum

Consultorem, cum Omnibus prerogativis et privilegiis sub nomine Congregationis Vicarij pertinebit, usque ad tempus imminentis Capituli quod suo tempore convocare debebit.—

Ex parte Secunda Constitutionum Capite 9. de Juramentis—

Forma Juramenti pro Prelato.—

Ego N.N. Electus in Praelatum Congregationis et Praepositum N. Juro DEO et Congregationi, quod Regulam Constitutiones et Statuta Capitulorum Generalium per Maiorem partem sancita et sancienda, inviolabiliter et integre pro viribus servabo, et a mihi subiectis servari curabo. Unitatem Congregationis in integro permanere satagam, invitatus a Maiore parte Capituli Generalis ad resignationem Officij mei illud resignabo, neque quidpiam in contra intentabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Evangelia.—

Finis Constitutionum est tenoris sequentis.—

Praesens Volumen Legum sive Constitutionum in Capitulo Generali Ozieranensi Anno 1801. diebus Julij celebrato, unanimi Omnium Capitulariter Congregatorum consensu, latarum, statutarum, et decisarum, atque in parte correctarum in duobus authenticis reperiendum, prolato, statuto, et deciso atque ideo iuxta Decretum Martini V. pro Canonicis Regularibus Lateranensibus indultum inviolabiliter obligatorie declaratur.— Salvo duobus subsequentibus Capitulis Generalibus iure et Privilegio ejusmodi Constitutiones per Nos infra scriptos Capitulariter Congregatos, latas, statutas, et decisas, Vigore Decreti Julij II. Papae approbandi, et in parte corrigendi; in Ordine, ut vim ac robur, tanquam a Sede Apostolica essent, approbata consequantur. Nos igitur infra scripti in fidem praesentium duo Authentica exemplaria cum correctione manibus Nostris sub actu Sessionis Capitularis sub scribimus— Anno 1801. Die 15 Mensis Julij N.S. —

Adalbertus Felix Sliwinski Canonicus Regularis Lateranensis Capituli Generalis Ozieranensis Praesidens. mpp. (L.S.)

Joannes Bapt: Sergius Chrzczynski Canonicus Regularis Lateranensis Capituli Generalis Ozieranensis primus Consultor mpp.— (L.S.)

Adalbertus Emiricus Wlochowicz Canonicus Regularis Lateranensis Capituli Ozieranensis Consultor secundus mpp.— (L.S.)

Josephus Firminus Kaczarowski C.R.L.— Vocalis mpp.— (L.S.)

Casimirus Remigius Sobieszanski— C.R.L. Vocalis mpp. (L.S.)

Antonius Rodolphus Wasilewski— C.R.L. Vocalis mpp. (L.S.)

Josephus Theobaldus Oleszkiewicz CRL Vocalis mpp:

Josephus Eucherius Jaskowski CRL Vocalis mpp.

Joannes Cantius Lambertus Chmielecki CRL Vocalis mpp.

Joannes Albinus Boguski CRL Delegatus a Conventu Vilnensi ad Capitulum Generale Ozieranense mpp:

Dominicus Alipius Zaskowski CRL Vocalis Praefectus et Professor Scholarum nationalium Slonimensium mpp:

Mathias Crescentius Gzowczynski CRL Vocalis mpp:

Josephus Leander Koczwarski CRL Vocalis Delegatus a Communitate Cremencensi ad Capitulum Generale Ozieranense mpp:

Carolus Praesidius Kostadt CRL Professor Matheseos et Phys: Delegatus a Communitate Slonimensi ad Capitulum Generale Ozieranense mpp:

Joannes Baptista Augustinus Zerowski CRL Communitatis Bychoviensis Delegatus Capituli Generalis Ozieranensis Secretarius mpp: